

dium : per desiderium currens, et requiescens A
per gaudium : currens ad illud, requiescens in
illo. Ad quid, aut in quo ? Audite, si forte expli-
care possimus, quo currere debeat amor noster :
aut in quo requiescere. Tria quædam sunt, quæ
amari bene aut male possunt, id est Deus,
proximus, et mundus. Deus supra nos est : proxi-
mus juxta nos est : mundus subtus nos est. Or-
dinate ergo charitatem. Si currit, bene currat : si
requiescit, bene requiescat. Desiderium currit :
gaudium requiescit. Propter quod gaudium uni-
forme est, quia semper in uno est : nec vicissitu-
dine variari potest. Desiderium autem mutabili-
tatem suscipit, et ideo non se continet in uno,
sed varias species repræsentat. Omnis namque
cursus aut de illo est, aut cum illo, aut in illo ad B
quod est Quomodo ergo currere debet desiderium
nostrum ? Tria sunt : Deus, proximus, et mundus.
Tria Deus, duo proximus, et unum mundus habeat
in cursu desiderii nostri, et est in desiderio
ordinata charitas. Amor namque per deside-
rium, et de Deo, et cum Deo, et in Deum
ordinate currere potest. De Deo currit quando
de ipso accipit unde eum diligit. Cum Deo
currit, quando ejus voluntati in nullo con-
tradicit In Deum currit, quando in ipso requies-
cere appetit. Hæ sunt tria, quæ ad Deum perti-
nent. Duo sunt proximi. Potest enim desiderium
de proximo currere, sed in proximum non po-

test. De proximo, ut de ejus salute, et profectu
gaudeat. Cum proximo, ut eum in via Dei et
comitem itineris, et socium perventionis habere
concupiscat. Sed in proximum non potest, ut in
homine spem et fiduciam suam constituat. Hæc
sunt duo, quæ ad proximum pertinent, id est, de
ipso cum ipso, non in ipsum. Unum est mundi,
de ipso currere : non cum ipso, aut in ipsum. De
mundo desiderium currit, quando inspecto foris
Dei opere per admirationem et laudem, ardentius
intus ad ipsum se convertit. Cum mundo curre-
ret, si se pro mutabilitate temporalium, sive de-
jiciendo in adversis, sive elevando in prosperis,
huic sæculo se conformaret. In mundum curre-
ret, si in ejus delectationibus semper requiescere
vellet. Ordinate ergo charitatem : ut desiderium
currat de Deo, cum Deo, in Deum ; de proximo,
cum proximo, non in proximum ; de mundo, nec
cum mundo, nec in mundum. Et in solo Deo re-
quiescat per gaudium, quia, si gaudium est,
amor bene quiescat ; si desiderium est, amor
bene currat. Est enim amor, sicut dictum est, di-
lectio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid :
desiderium in appetendo, et in perfruendo gau-
dium, currens ad aliud, requiescens in illo. Hæc
est ordinata charitas, et præter ipsam omne quod
agitur non ordinata charitas est, sed inordinata
cupiditas.

DE SACRAMENTIS LEGIS NATURALIS ET SCRIPTÆ

DIALOGUS

MAGISTRI SIGNANDI PER M. ET DISCIPULI SIGNANDI PER D.

Loquitur prior discipulus.

D. Quid fuit priusquam mundus fieret ? M. So-
lus Deus. D. Quandiu prius fuit ? M. Ab æterno.
D. Ubi fuit cum nihil esset præter ipsum ? M.
Ubi modo est, ibi fuit et tunc. D. Ubi est modo ?
M. In semetipso est, et omnia in ipso sunt, et
ipse est in omnibus. D. Quando fecit Deus mun-
dum ? M. *In principio (Gen. 1)*. D. Ubi factus
est mundus ? M. In Deo. D. Unde factus est
mundus ? M. De nihilo. D. Quomodo factus est
mundus. M. Prius in materia simul facta sunt
omnia : postea vero in hac qua nunc mundus
cernitur forma, per sex dies composita sunt et
ordinata universa. D. Quomodo poterat mate-
ria prius esse quam forma ? M. Materia illa non
omnino sine forma fuit ; sed tamen informis
prius fuisse dicitur, quia in prima sui condi-
tione tam decentem et tam aptam (sicut nunc
habet) adhuc formam non habuit. D. Quare vo-
luit Deus prius creare rudem materiam : quasi
non potuerit simul cum forma creasse eam ? M.

C Voluit prius ostendere quid esset creatura ex se,
et quid ex beneficio Creatoris deinde accepisset ;
ideoque prius creavit essentiam, postmodum for-
mam indidit. D. Cui ostendebat hoc, quando
adhuc nemo erat qui hoc videre poterat ? M.
Erant jam tunc angeli quibus hoc ostenderetur,
ut foris in rebus conditis viderent, quod in seip-
sis intus agnoscerent ; ne et ipsi gloriam quam
acceperrnt sibi, sed conditori suo tribuendam pu-
tarent. Nobis quoque hoc ostenditur ; qui et si
illud quando factum est non vidimus, quod ta-
men factum sit (sacro eloquio referente) audivi-
mus. D. Ubi vel qualis fuit prima illa materia
priusquam formaretur ? M. Ibidem confusa ja-
cuit, ubi nunc ordinata subsistit. Nam terra in
eodem in quo modo est, hoc est : medio loco
constituta, tribus reliquis elementis, id est aqua,
et aere, et igne, in una adhuc caligine confusis undi-
que involvebatur, quæ videlicet confusio circum-
qua que terram ambiens tantumdem spatii sursum

occupabat, quantum nunc universitas creaturarum complectitur. Formam jam tunc terra qualemunque cæteris potiorē habuit, sed involuta adque obducta necdum apparere potuit quod fuit. Reliqua tria, ut dictum est omnimodo confusa erant et indigesta, in modum cujusdam nebulae in hoc quod nunc aer et cælum tenet spatio suspensa. Quam caliginem tenebrosam tenebras Scriptura nominavit : quae in principio super faciem abyssi (quae adhuc nondum impleta erat) collectione aquarum desuper oppansae pendent.

D. Quae formatio facta est prima die ? M. Lux facta est prima die (*Gen. 1*) : quae quidem jam prius inter cætera materialiter creata fuerat ; sed nunc primum ut lucere posset et illuminare, ab aliis segregata est adque distincta. D. Qualis existimanda est fuisse lux illa ? M. Sunt qui asserunt nubem lucidam fuisse, quae sicut sol modo circumferebatur ambiens terram ; quae dum superiores mundipartes oriens lustrabat diem, occasu autem suo ad infera descendens absentata luce fecit noctem. Inde distinctos et appellatos volunt tres illos primos dies in exordio creaturarum priusquam sol et cætera luminaria conderentur. D. Ubi dicendum est modo esse lucem illam ? M. Dicunt modo in superioribus ætheris partibus circumquaque dispersam esse, et adhuc videri posse si non major illam solis claritas absconderet ; nocte vero ex illa adhuc luce diligenter considerantibus demonstrari quasi quasdam tenuissimae nebulae lucidas contra firmamentum reliquias dispersas, quas omnino major diei claritas ab oculis intuentium celat.

D. Quae formatio facta est secunda die ? M. Firmamentum factum est secunda die (*ibid.*), quod quidem et prius ipsum materialiter creatum fuerat ; sed huc usque indiscretum et in illa universali confusione permistum manebat. Nunc autem, id est secunda die, erutum a permistione et in formam redactum positum est, ut inter aquas superiores et aquas inferiores divideret ; sic scilicet ut illi confusione in modum nebulae circa terram pendenti medium veniens quodammodo illam intersecaret, et ambitu suo circumquaque complectens partem infra se clauderet, partem extrinsecus separaret, id est ut ab ipsis aquis quae in divisione extrinsecus sive superius remanserunt, firmamentum medium inter aquas et aquas totum circumquaque ambiretur, aquae autem, quae intrinsecus sive inferius relictæ sunt, totæ ab ipso firmamento ex omni parte clauderentur. Pars ergo aquarum in divisione super firmamentum remansit ; pars alia infra ambitum firmamenti conclusa, totum circumquaque acris spatium implens occupavit. D. Estne credendum adhuc esse aquas super firmamentum ? M. Sic putatur ; quia et Scriptura sacra diversis in locis hoc manifeste confirmat, sicut est illud Psalmistæ testimonium : *Aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini (Psal. CXLVIII).*

A D Quomodo possunt aquae super cælum consistere ? M. Glacialiter vel (quod magis credibile est) ad similitudinem illius primi chaos firmiter ibi suspenduntur pendulae ad modum nebulae levis, qualis in principio natura omnium aquarum fuisse putatur.

D. Quae fuit formatio diei tertiae ? M. Aquae illae quae sub firmamento pendentes remanserant compactae sunt ad invicem ; et pondere tandem deorsum pressae congregatae sunt *in locum unum (Gen. 1)*, id est in magnam illam abyssum quam prius desuper obtexerant : unde et nunc ad omnes terrarum partes per thracones et alveos suos derivantur. Congregatis autem aquis, coepit apparere *arida (ibid.)*, hoc est terra, quae prius caligine illa et confusione involuta latuit ; quam apparentem Deus germinibus suis vestivit : et sic completum est opus diei tertiae.

D. Quae formatio facta est die quarta ? M. Luminaria condita sunt in cælo, id est sol et luna et stellae ; ut lucerent super terram, et illuminarent illam, et tempora cursu suo distinguerent (*ibid.*).

D. Quae formatio facta est die quinta ? M. Aves et pisces facti sunt de aquis. Aves deinde in aere collocatae sunt ; pisces in originali sede permanserunt (*ibid.*).

D. Quae formatio facta est die sexta ? M. Bestiae et cætera animantia quae vivunt super terram de terra creata sunt. Consummatis autem et præparatis omnibus, postremo (eadem tamen sexta die) factus est homo, qui universae dominaretur creaturae. D. Quare aves, quae in aere collocatae sunt, non sunt factae de ipso aere, sicut pisces de aqua, et bestiae pariter et homo de terra ? M. Quia aer talem non habet corpulentiam ut de eo animal fieri possit sicut et de terra. D. Quare novissime factus est homo ? M. Quia homo universae creaturae præficiendus fuit, congruum erat ut prius mansio ejus præpararetur, postmodum ipse ordinatis omnibus quasi possessor et rector introduceretur in orbem terrarum. Hæc igitur sunt opera conditionis quae sex diebus fecit Deus atque complevit, ante omnem diem creans, tribus primis diebus disponens et ordinans, tribus sequentibus exordinans : prima discernens, secunda distinguens, tertia disponens, quarta exornans cælos, quinta aerem et aquam, sexta terram. D. Quare sex diebus fecit Deus opera sua, et septima requievit ? M. Senarius quia ex partibus suis constat, signum perfectionis est ; et ideo voluit Deus sex diebus complere opera sua, ut ostenderet se in iis quae fecerat, nec superfluum aliquid possuisse nec reliquisse imperfectum. Completis autem sex diebus septima demum die requievit (*Gen. 11*), id est ab opere cessavit ; non quod ipse quasi fatigatus requie indigeret, sed ut nobis si secundum modum et mensuram nostram opera bona et perfecta facere studuerimus, requiem fu-

turam promitteret. D. Quomodo septima die Deus requiesse dicitur, cum ipse in Evangelio dicat: *Pater meus usque modo operatur et ego operor?* (Joan. v.) M. Deus multis modis operari dicitur. Est namque opus creationis, est et opus dispositionis, est opus propagationis, et est opus gubernationis; Opus creationis ante omnem diem fecit; opus dispositionis sex diebus complevit; opus propagationis usque in finem sæculi non deserit; ab opere gubernationis usque in æternum non cessabit. D. Si septima die primum requievit Deus, quid ergo egit ab initio primæ diei postquam lucem fecerat usque ad exortum sequentis quando firmamentum faciebat? M. Si propius rem intueri velis, invenies nequaquam Deum prima die post exordium lucis ab omni penitus opere quiesse; quia non solum hoc quod lux facta est ad opus ejus pertinet; sed etiam quod directa est, donec peracto circuituionis suæ ambitu cursum consummavit. Primum igitur ut opus suum a perfecto inciperet, lucem orientem fecit; et inde eam dirigens, primum vespere, deinde mane, id est primam diem complevit. D. Nunquid ita de operibus reliquorum dierum intelligendum? M. In his ego nihil temere affirmare velim; quia, etsi similiter de opere diei secundæ dici possit, quod primum firmamentum inter aquas et aquas fecerit; deinde cursum ejus usque ad exortum diei tertiæ direxerit tamen quia de motu firmamenti necdum certum experimentum invenimus: hujus quæstionis nodum alio si placet modo dissolvamus. Potest namque non inconvenienter dici non ita in illis sex diebus Dominum sui operis seriem continuasse, quasi nullo interim intervallo temporis opus intermiserit; sed quia nullum in operando diem intermisit, septima autem die sic demum ab omni opere quiesse, ut nec alia præter ea quæ jam facta fuerant deinceps crearet, nec aliter quam disposita jam erant (quantum ad ordinem pertinet universitatis) disponeret. Neque enim aliquid postmodum numero universitatis addidit, neque ordinem universitatis in aliquo commutavit. D. Et quid quod adhuc quotidie novæ creantur animæ. M. Nihil tamen novum addici dicitur; quia ipsæ animæ, licet de nihilo creatæ nunc primum esse incipient, tamen quodammodo etiam tunc iu similitudine sua creatæ fuerunt. Et ut breviter id quod mihi dicendum inde videtur tibi absolvam, universa tunc facta sunt ut nihil postmodum fieret quod prius vel in materia vel in similitudine creatum non fuisset.

D. Ultra adhuc in his operibus digna inquisitione video, quæ quidem nolens præterire compellor; ne forte in hujusmodi si te plus justo detineam, ad alia quæ restant magis necessaria non pertingam. Nunc ergo si placet ad hominem revertamur, ut causam creationis ejus mihi admodum desideranti aperias. Quia profecto dignum est ut qui omnia propter ipsum facta jam credimus, etiam cur ipse factus sit non ignoremus. M. Deus qui

summun et verum perfectumque bonum et ita ab æterno in se et per se beatus fuit, ut ejus gloria et beatitudo, quia æterna et incommutabilis erat, non posset minui, est quia plena et perfecta fuerat, non posset augeri. Nullo igitur indigens, sed bonum quod ipse erat et quo beatus erat, cum aliis participare et alios in illo et per illud beatificare volens, nulla necessitate, sed sola charitate creavit rationalem creaturam, id est spiritus rationales, jussitque ut ipsi partim in sua puritate persistèrent, partim ut carue vestiti corpus humanum ad vitam et ad sensum animarent. Illis ergo spiritibus qui corporibus sociandi erant, locum et habitationem in terra constituit; illis vero qui in suo puritate permansuri fuerant, mansionem in cælo collocavit. Illos quidem per dignationem in summo constituens; istos per dispensationem in imo disponens, ut et istos quandoque per obedientiam ab imo ad summa proveheret, et illos per obedientiam in summo confirmaret. D. Quare voluit Deus spiritus sociare corporibus, cum majoris excellentiæ fuissent in sua puritate persistentes? M. Voluit in illis ex creatione ostendere quod postmodum facturum ipse in illis fuerat ex dignatione. Quia enim in rebus creatis nihil excellentius est spiritu, nihil terra infimius atque corruptibilis, dum corpori de terra facto et corruptibilem materiam habenti, rationalem spiritum, id est, animam rationalem tribuit, in unum quodammodo consortium et societatem summis ima conjunxit; ostendens quia, quod erat corpus spiritui, hoc quodammodo spiritus erat sibi. Et sicut excellentiam spiritus infirmitati corporalis naturæ conjuxerat una creationis conditio, ita humilitatem creaturæ spiritualis, excellentiæ Creatoris sociare debuerat una pietatis dignatio. Fecit ergo, ut dictum est corpus hominis de limo terræ et inspiravit ei animam rationalem quam creavit de nihilo (*Gen II*), ut in corpore obedienter viventem ad consortium illorum spirituum qui sine corpore vivebant, id est angelorum, quandoque simul cum corpore elevaret; et pariter utrosque ad participationem gloriæ suæ attolleret, quatenus et in spiritum et in spiritu corpus glorificaret; et quantum prius summa per dispensationem inclinavit dum conderet, tantum nunc ima per dignationem exaltaret. D. Quare non creavit Deus homines simul, sicut angelos creaverat? M. Quia voluit ut unum esset humani generis principium. D. Quare hoc voluit? M. Ad retundendam superbiam diaboli. Quia enim diabolus superbe aliud a Deo principium esse appetiit, ut magis confunderetur ejus elatio, hoc homo accepit, quatenus etiam in eo dignitatem similitudinis Dei haberet, quod sicut ille rebus omnibus creationis principium existit, ita iste esset omnibus hominibus principium generationis; et omnes homines dum se ab uno et unum esse cognoscerent, omnes se quasi unum amarent. D. Quare facta est mulier? M. In adjutorium generationis. D. Quare de viro facta est? M. Quia si aliunde fieret, unum principium

non esset. D. Quare de latere facta est? M. Ut ostenderetur quia in consortium creabatur dilectionis; ne si de capite facta fuisset, preferenda videretur viro ad dominationem; aut si de pedibus, subjicienda ad servitutem. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, sed socia; nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda, ut juxta se ponendam agnosceret, quam de juxta se sumptam didicisset: *Missit igitur Deus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus (Gen. II), et exinde mulierem fabricavit.* D. Quare dormienti potius quam vigilantanti voluit costam subtrahere? M. Ne putaretur illi eam pœnaliter abstraxisse. D. Quomodo de sola costa fieri potuit mulier? Nunquid aliquid aliud Deus illi costæ ad augmentum extrinsecus addidit, aut novum aliquid concreavit, aut ipsa in semetipsa costa multiplicari cœpit? M. Si ad mulieris corpus perficiendum illi costæ Deus extrinsecus augmentum addidit (cum illud quod addebatur multo majus fuit quam ipsa costa cui addebatur), inde potius mulierem factam Scriptura dixisse debuit unde plures substantiæ suæ partes accepit. Similiter si id quod costæ in augmentum venit, de nihilo, factum creditur; cur eam de viro factam dicimus et non potius de nihilo, cum illud ejus quod de nihilo factum esse multo majus sit quam id quod de viri substantia in corpus illius transivit? Restat ergo ut credamus costam illiam in semetipsam multiplicatam nullum extrinsecus augmentum suscepisse. D. Quomodo potest fieri ut aliqua res crescat cui nihil aliunde apponitur? M. Plus est de nihilo aliquid facere, quam parvam substantiam in seipsum multiplicare.

D. Certum est: quapropter ea quæ restant prosequere M. Factos igitur extra paradysum in paradiso posuit, informans præceptis vitæ et disciplinæ. D. Quare homo, qui in paradiso mansionem habiturus fuerat, extra paradysum factus est? M. Ne beneficium Dei imputaret naturæ, sed gratiæ. D. Quibus præceptis informavit Deus hominem, cum eum collocaret in paradysum? M. Duobus, id est præcepto naturæ, et præcepto disciplinæ. Duo namque bona præparat Deus homini: aliud temporale et aliud æternum, utrumque plenum et perfectum. Alterum, id est temporale bonum, plenum in eo posuit; et alterum, id est æternum, plenum ei proposuit. Illi quod dederat, custodiam apposuit præceptum naturæ; ad illud quod proposuerat, viam, aperuit præceptum disciplinæ. Præceptum naturæ continet præceptionem, prohibitionem, concessionem; præceptio naturalis fuit discretio per quam ei inspiratum est quæ essent naturæ suæ necessaria; prohibitio naturalis fuit discretio per quam naturaliter ei insinuatam est quæ essent noxia; concessio discretio fuit eorum quæ erant media, id est quibus uti et non uti sine incommodo potuisset. Si igitur homo per naturale præceptum imbutus negligentiam cavisset, divina providentia nulla eum violentia opprimi permetteret. Poterat namque

A homo per præceptum naturæ conservare bonum quod habuit sed per illud non potuit bonum quod necdum habuit adipisci. Neque enim meritum esse poterat homini si vel vitaret noxia vel salubria appeteret, sive ad utrumlibet mediis uteretur; quoniam in his omnibus non tam præcipientis affectum quam commodum obedientis attenderet. Itaque ut homo aliquid promereri posset, necessarium fuit ut præceptum disciplinæ adderetur, sed hoc neque de præceptione neque de prohibitionem sumi poterat, ne si vel eadem Deus præciperet aut prohiberet, meritum, ut dictum est, obedienti non esset; aut si mutaret mandatum, ipse sibi contrarius fieret. Oportuit ergo ut de concessione sumerentur, sic tamen ut per ipsum præceptum concessio non mutaretur, id est ut non præceptum naturam corrumpere, sed inobedientia prævaricatori non natura noceret. Cum autem de concessione naturali præceptum disciplinæ formandum fuisset, congruum fuit magis ut secundum prohibitionem hoc fieret, ne diabolus posset obedientiam calumniari; et in uno tantum non in pluribus, ne obedientia varet ab homine excusari. Si igitur homo in hac obedientia perstitisset, post tempus definitum a Deo ad illud summum bonum quod in cœlis ei præparatum fuerat, sine mortis dolore transferri debuerat cum omni prole sua in consortio beatorum angelorum æternaliter victurus. D. Quare Deus indigentiam in homine esse voluit? M. Ut inde occasionem exercitationis sumeret; et ipsa exterior indigentia interiorem ei indigentiam demonstraret. D. Ante peccatum fuit mortalis an immortalis homo? M. Utrumque potestate, neutrum necessitate; utrumque postea futurus necessitate, neutrum potestate; alterum prius per culpam, alterum deinde per gratiam.

D. Ubi est paradysus? M. Cur queris quod vides? Ad orientem ingressus tuus, hoc est lignum vitæ quod conspicias. D. Quare vocatum est lignum vitæ? M. Quia talis in eo virtus est ut ejus fructus possit vitam hominis a mortis et omnis infirmitatis molestia defendere. D. quod est lignum scientiæ boni et mali? M. In quo prævaricatus est Adam. D. Quare sic vocatum est? M. Adam antequam peccaret bonum et malum scivit: bonum quidem et per scientiam et per experientiam, malum vero per solam scientiam. Postquam vero lignum vetitum tetigit, malum tum etiam per experientiam cognoscere cœpit; non tamen natura ligni, sed inobedientia hominis scientiam contulit, dum per experientiam mali etiam bonum quam stricte fuerat tenendum agnovit. Itaque nomen hoc non ex natura quam habuit, sed ex occasione quam præstitit, ligno inditum esse credendum est. D. Quomodo prævaricatus est homo? M. Videns diabolus quod homo per obedientiam illuc ascenderet unde ipse per superbiam ceciderat, invidit ei et quia per violentiam ei nocere non poterat, ad fraudem se convertit. Ne autem fraus illius si nimis occultaretur caveri omnino non posset, non permissus est

per aliud animal tentare nisi per serpentem, ut naturalis astutia serpentis malitiam proderet tentatoris; ut per indumentum quod foris erat homo cognosceret quantum ejus qui intus regebatur versutiam cavere debuisset. D. Quomodo tentatus est homo? M. Exteriori tentatione tantum. D. Quæ est exterior tentatio? M. Suasio alicujus facta vel signo vel verbo ut ille cui fit ad consensum peccati inclinetur. D. Quæ est interior tentatio? M. Motus primæ delectationis per quem ad peccandum impellitur. Hæc autem difficilius vincitur, quia interius oppugnans de nostro contra nos roboratur. Propterea diabolus veniam non meruit, quia nulla tentatione peccavit; homo vero qui exteriori tentatione pulsatus cecidit, tanto gravius plectendus erat, quanto leviori impulsu fuerat prostratus. Et tamen quia aliquam in cadendo, ut ita dicam, violentiam sensit, idcirco hunc tandem Dei gratia ad veniam erexit. Nos vero quanto graviorem in peccando tentationis violentiam patimur. tanto leviori piaculo ad gratiam amissam renovamur. D. Quo ordine tentatus est homo? M. Diabolus, quia vidit mulierem utpote infirmiore et minus ratione vigentem, facilius fraude circumveniri posse, primum eam aggressus est interrogatione, volens animum ejus elicere ut ex responsione ejus colligeret qualiter eam de cætero alloqui debuisset. D. Quare non horruit mulier serpentem loquentem sibi? M. Quia eum noviter creatum officium loquendi a Deo accipisse credebatur. D. Quomodo allocutus est eam? M. *Comedite: et eritis sicut dii scientes bonum et malum (Gen. III)* Per tria tentavit, per gulam, per vanam gloriam, per avaritiam. Est autem gula immoderatus appetitus edendi; vana gloria, amor propriæ laudis; avaritia immoderatus appetitus habendi. Per gulam tentavit, cum dixit: *Comedite*, Per vanam gloriam, cum dixit: *Eritis sicut dii*. Per avaritiam cum dixit: *scientes bonum et malum*. D. Vellem ut ipsam radicem istius peccati explicares: et sicut demonstrati mihi quo ordine patratum sit, ita etiam quid sit ostenderes. M. In primo homine Deus duo posuerat, videlicet appetitum justitiam, et appetitum commodi; unum, id est appetitum justitiam, secundum voluntatem; alterum, id est appetitum commodi, secundum necessitatem. Illum autem ideo voluntarium esse constituit, ut in eo homo promeretur, sive bene eum retinendo cum posset deserere, sive male deserendo cum posset retinere. Hunc autem necessarium propterea esse voluit; quatenus in eo remuneraretur, sive ad pœnam si illum desereret, sive ad gloriam si illum retineret. Et idcirco illi effectum suum, id est justitiam inseparabiliter adjunxit, isti vero effectum suum, id est commodum separabilem proposuit, quatenus homo vel illo solo amisso hujus et illius affectus perderet; vel illo solo retento hujus et illius effectum retineret. Sed homo hoc solum quod potuit fecit; et quia appetitum justitiam sponte dereliquit, idcirco juste et justitiam et commodum perdidit; solum

esset, vel in sumendis periculum, indigentiam simul et appetitum carnalem certa mensura temperavit; quatenus ei ad fomentum et pauca sufficere possent, et ad satietatem modica. Itaque prudentia carnis tam labor quam oblectamentum et exercitatio futura foret si homo justitiam tenuisset. Sed quia spiritus supra elatus appetitum suum intra mensuram cohibere noluit, idcirco meruit ut jam subitus per infinitos labores dissipatus in appetitu carnis suæ mensuram tenere non possit. Fregit enim Deus mortalitate integritatem corporis humani, et ab hoc pluribus jam fomentis indiget quam prius, tam ad reparandam incolumitatem quantum periit quam ad conservandam quantum remansit. Hunc illa dura necessitas gignitur ut extra ordinem natura appetitum extendat; ut non solum naturam custodiat, sed etiam vitium naturæ expellat. Spiritus enim sicut ei naturaliter datum est commodum carnis suæ diligere; sic naturaliter etiam habet ut ejus incommodum non possit amare. Sciendum tamen est quod hæc necessitas concupiscendi non ideo culpa non est quia necessitas est; quia ut esset hæc necessitas, non necessitas causa fuit, sed voluntas. Hoc tamen de omnibus veraciter dici potest, quod nihil anima appetit quantumlibet inordinatum videatur nisi propter aliquod commodum vel conservandi boni vel mali removendi; sicut verbi gratia dum coitum appetit, extinguere cupit carnis pruriginem, dum cibum appetit vel potum, gulæ ardorem. D. Si omnis appetitus commodum appetat, commodum autem suum appetere tam in bono conservando quam in removendo malo naturæ datum sit, ut quid hæc concupiscentia homini in culpam reputatur? M. Non ideo peccat quod commodum suum appetit; sed quod inordinate appetit. D. Non potest inordinate non appetere? M. Non potest. D. Quare non potest? M. Propter infirmitatem suam. D. Quare infirmatus est? M. Quia Deus integritatem naturæ passibilitate mortalitatis confregit. D. Quare hoc fecit? M. Video quo tendas. D. Quæ tamen causa fuit? M. Culpa hominis. D. Ergo per culpam suam ad hanc necessitatem venit. M. Ita est.

D. Non igitur eum excusat ista necessitas. M. Non potest excusare. D. Sed quid faciet? M. Quærat adjutorium gratiæ et dicat: *De necessitatibus meis erue me, Domine (Psal. XXIV sicut dicit Apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum (Rom. VII).* D. Ergo homo nisi per gratiam Dei liberari non potest? M. Non potest. Dicimus enim quod homo in appetitu justii derelicto sponte peccaverit; in appetitu commodi retento dupliciter punitus sit; sive quia ab ordinatis commodis restringitur, sive quia ad inordinata commoda relaxatur. In altero pœna, in altero pœna et culpa. Quia igitur homo tali pœna multatus est per quam culpa non purgaretur sed cresceret, nisi fuisset liberatus per gratiam, per hanc pœnam ad pœnas damnationis

A æternæ merito descendisset. Itaque dilatur judicium ejus ne damnandus inveniretur. Et eum Deus ad salutem præordinaverat, loci spatium correctionis et pœnitentiæ concipere quatenus eum interim per gratiam suam tunc efficeret, quem tandem non solum misericors sed etiam juste ad salutem judicare potuisset. D. Quis est locus pœnitentiæ quem Deus concessit homini? M. Mundus iste. D. Et quo spatium pœnitentiæ? M. Vita præsens, id est ab initio mundi usque in finem sæculi. D. Magnæ sunt induciæ istæ: sed velim ut sciam adhuc quare mundum istum voces locum pœnitentiæ? M. Quatuor sunt loca: unus in quo est solum bonum et summum bonum, et unus in quo est solum malum et summum malum; unus in quo est solum bonum non tamen summum bonum et unus in quo est bonum et malum, nec summum bonum nec summum malum. D. Velim ut exempla singulorum proponeres. M. In paradiso est solum bonum; et summum bonum; in inferno est solum malum et summum malum; in paradiso est solum bonum non tamen summum bonum; in mundo est bonum et malum, nec summum bonum nec summum malum. D. Quare distinxisti loca ista? M. Paradisu est locus inchoantium et in melius proficientium ideo ibi solum bonum esse debuit; quia creatura a malo initianda non fuit; non tamen summum bonum ut esset in quo illi qui initiabantur proficere possent. Cœlum est locus confirmatorum bonorum et per disciplinam ad summum profectum pertinentium. Unde solum summumque bonum in eo collocatum est. Infernus est locus confitentium malorum et disciplinam irrecuperabili deserentium; et ideo ibi solum et summum malum positum est. Mundus est locus errantium et inordinatorum; et ideo simul bonum et malum in mundo inordinatum est, ut per bonum quidem consolationem accipiant, per malum vero correctionem. Non tamen summum bonum aut summum malum ibi est, ut sit quo et persistentes in malo defleant et recedentes a malo proficere possent. Cœlum est in summo infernus est in imo; in medio paradisu; inter imum et medium mundus. Hic igitur qui a medio ceciderat (quia ad reparandam expectabatur) inter imum et medium collocandus erat. D. Ecce diu expectatur homo quid faciet? M. Non poterit invenire consilium evadendi. D. Quid ergo prodest judicium differtur si homo non potest liberari? M. Per se non potest. D. Per quem igitur? M. Ille qui per gratiam suam differt judicium, oportet interim per eandem gratiam ostendat consilium evadendi.

D. Ergo judex reo consilium dabit? M. Dabit interim personam judicis, et assumet personam conciliatoris. D. Quando veniet? M. In temporibus novissimis. D. Quare tandiu differtur ventum suum? M. Ut permittat prius homini periri defectum suum. Venient prius patriarchæ et prophetæ et legislatores, venient justii et

piantes, quærent et non invenient ; laborabunt et deficient, promittent multi et nulli ostendent. Cum autem omnes defecerint et multis promissionibus, multis etiam verbis prolatis siluerint, tunc ipse proferet unum verbum et dabit consilium. D. Quod consilium dabit ? M. Nunquid ego conscius sum secretorum Dei ? Secretum est et absconditum hoc concilium a sæculis. D. Tamen temporibus novissimis manifestum. Præterea si nos ad redemptionis sortem pertinere volumus justum est ac decens ut ejus redemptionis nostræ modum non ignoremus. M. Consilium hoc in eo fuit qualiter homo juste vel a potestate diaboli eripi, vel Deo posset reconciliari. D. Desidero admodum scire qualiter hoc fieri potuerit. M. Causam hominis prius considera ; et tunc facile poteris videre qua justitia sit liberatus. D. Et ipsam mihi demonstrari cupio. M. Causa hominis adversus duos constitit, id est adversus Deum et adversus diabolum ; quapropter non te pigeat si hanc ipsam causam quasi sub trium personarum conformatione explanem. D. Totum, in expectatione posuisti. M. Tres in causam veniunt, homo, Deus, et Diabolus. Deo Diabolus injuriam fecisse convincitur ; quia servum ejus, id est hominem, et fraudulenter abduxit, et violenter tenuit. Homo injuriam fecisse convincitur Deo ; quia et præceptum ejus contempsit, et se sub manum alienam ponens suæ servitutis damnum illi intulit. Item diabolus homini injuriam fecisse convincitur ; quia illum et prius bona promittendo decepit, et post mala inferendo læsit. Injuste ergo diabolus tenet hominem, sed homo juste tenetur ; quia diabolus numquam meruit ut hominem sibi subjectum premeret ; sed homo meruit per culpam suam ut ab eo premi permitteretur. Licet enim ignoraret falsum esse quod diabolus promisit, non tamen ignoravit quod illud (etiam si verum esset) contra Creatoris voluntatem concupiscere non debuit. Juste ergo homo subjectus est diabolo quantum pertinet ad culpam suam ; injuste autem quantum pertinet ab diaboli fraudulentiam. Si ergo homo talem patronum haberet cujus diabolus in causam adduci posset, juste dominio ejus homo contradiceret ; quia nullam diabolus causam justam habuit quare sibi jus in homine vindicare debuerit. Patronus autem nullus talis inveniri poterat nisi Deus. Sed Deus causam hominis suscipere noluit ; quia homini adhuc pro culpa sua iratus fuit. Oportuit ergo ut prius homo Deum placaret, et sic deinde fiducialiter Deo patrocinante cum diabolo causam iniret. Sed Deum rationabiliter placare non poterat, nisi damnum quod intulerat restitueret, et de contemptu satisfaceret. Homo vero nihil habuit quod digne Deo pro ablato damno recompensaret, quia si quid de irrationabili creatura redderet, pro rationabili sublata minus esset. Sed nec hominem pro homine reddere potuit ; quia justum et innocentem abstulerat, et neminem nisi peccatorem invenit. Nihil ergo homo invenit unde Deum sibi placare posset ; quia sive sua

A Sive ipsum daret, digna recompensatio non esset. Videns ergo Deus hominem sua virtute jugum damnationis justæ evadere non posse, misertus est ejus ; et primo gratuito prævenit eum per solam misericordiam, ut deinde liberaret per justitiam : hoc est, quia homo ex se justitiam evadendi non habuit, Deus homini per misericordiam justitiam dedit. Neque enim ereptio hominis perfecte rationabilis esset, nisi ex utraque parte justa fieret, hoc est, sicut Deus justitiam habuit hominem requirendi, ita et homo justitiam haberet evadendi. Sed homo hanc justitiam nunquam habere potuisset, nisi Deus ei per misericordiam eam tribuisset. Ut ergo Deus ab homine placari posset, dedit Deus gratis homini quod homo ex debito Deo redderet. Dedit ergo homini hominem, quem homo pro homine Deo redderet ; qui (ut digna recompensatio fieret) priori non solum æqualis sed et major esset. Ut ergo pro homine redderetur homo major homine, factus est Deus homo pro homine, et dedit se homini ut se acciperet, ab homine. Incarnatus est Deus Dei Filius, et datus est hominibus Deus homo Christus, sicut Isaias ait : *Puer natus est nobis* (Isa. 11), etc. Quod ergo homini datus est Christus, Dei fuit misericordia ; quod ab homine redditus est Christus, hominis fuit justitia. In nativitate enim Christi juste placatus est Deus homini ; quia talis homo inventus est pro homine, qui non solum, ut dictum est, par, sed et major esset homine. Ideo in nativitate Christi angeli pacem mundo nuntiant, dicentes : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. 11). Sed adhuc supererat homini ut sicut restaurando damnum placaverat iram ; ita quoque pro contemptu satisfaciendo dignus fieret evadere pœnam. Sed hoc convenientius fieri non poterat, nisi ut pœnamquam non debebat sponte et obedienter suscipere, ut de pœna quam per inobedientiam meruerat eripi dignus fieret. Hanc autem pœnam homo peccator solvere non poterat ; qui quamcumque pœnam suscipere, non nisi digne et juste (propter primi contemptus reatum) sustineret. Ut ergo homo juste pœnam debitam evaderet, necesse fuit ut talis homo pro homine pœnam suscipere, qui nihil pœnæ debuisset. Sed talis nullus inveniri poterat nisi Christus. Christus igitur nascendo debitum hominis Patri solvit, et moriendo reatum hominis expiavit ; ut cum ipse mortem pro homine quam non debebat, sustineret, juste homo pro ipso mortem quam debebat evaderet, et jam locum calumniandi diabolus non inveniret ; quia et ipse homini dominari non debuit, et homo liberari dignus fuit. Idem itaque et judicium nostrum et causam nostram fecit. Unde psalmista : *Quoniam fecisti judicium meum et causam meam* (Psal. 119). Causam nostram fecit ; quia debitum Patri pro nobis solvit, et moriendo reatum expiavit. Judicium vero ; quia descendens ad inferos et portas mortis frangens captivitatem quæ ibidem tenebatur liberavit. Judi-

cium ergo diaboli adversus Deum factum est statim in principio sæculi; iudicium hominis adversus diabolum, in passione Christi. Iudicium hominis adversus Deum differtur usque in finem sæculi. Et ideo homo, si prius per Christum Deo reconciliari voluerit, potest iudicium suum sine timore damnationis præstolari. D. Hic congrue debueras modos iudicandi distinguere, quatenus ea quæ hic de iudicio dicta sunt ex aliorum collatione valeam et manifestius discernere et verius approbare. M. Quatuor sunt iudicia, videlicet secundum præscientiam, secundum causam, secundum operationem, secundum retributionem. Secundum præscientiam iudicati fuimus antequam essemus; secundum causam iudicamur ex quo esse incipimus, quando boni et mali sumus; secundum operationem iudicamur, quando operibus foris ostendimus quales intus apud nos sumus; secundum retributionem iudicamur, quando in percipienda mercede operum cognoscemus, quales ab æterno apud Deum prævisi fuimus. Ex his quatuor iudiciis duo sunt occulta, iudicium secundum præscientiam et iudicium secundum causam, et ideo in eis humanum iudicium non recipitur: duo manifesta, id est iudicium secundum operationem, et iudicium secundum retributionem, in quorum altero, hoc est iudicio secundum operationem, hominibus a Deo in præsentem iudicandi potestas datur; alterum vero hoc est iudicium secundum retributionem, non ab hominibus sed a Deo choram omnibus iudicabitur. Sed iudicium secundum præscientiam occultum est et immutabile; iudicium secundum operationem manifestum et mutabile. Iudicium secundum retributionem manifestum et immutabile. Iudicium secundum operationem imago quodammodo est sacramentum iudicii secundum retributionem; qua illud manifestat causam et præscientiam innuit: hoc vero manifestabit causam et confirmabit præscientiam.

D. Quid ad nos pertinet quod Christus diabolum vicit? M. Christus propterea Filius hominis dicitur, quia humana natura quæ in primo parente per peccatum senuerat, in Christo renovata quasi ad juventutis robur resloruit; et iustum fuit etiam secundum legem, ut pro patre decrepito et quasi per defectum ætatis debili, Filius validior robore contra tyrannum congressum faceret, et ut eius victoria non ipsi sed illi præcipue pro quo pugnaverit ad libertatem valeret. Nam et idcirco Filius Dei Filius hominis fieri voluit, ut illud de homine sumeret in quo homo pro homine diabolum superaret. D. Nunquid non etiam ante passionem Christi fuerat diabolum a quibusdam hominibus eiectionis? M. Fuerat, non tamen nisi per passionem. D. Quomodo potest hoc fieri? M. Sicut passio Christi nunc præterita credentes sanctificat, ita nunc futura credentes sanctificabat. D. Qua ratione poteris hoc confirmare? M. Quid Verbum incarnatum dixerim, nisi regem qui hunc mundum intravit per assumptam humanitatem cum diabolo bellaturus, et cum exinde,

A quasi tyrannum et violenter in alieno domini expulsurus. Et quid omnes priores sancti ante incarnationem ab initio fuerunt electi laverim, nisi milites quosdam optimos venturum in acie præcedentes, ipsis quibus sanctificabantur sacramentis quasi quibus muniti atque præcincti. Quid item eos qui incarnationem usque ad finem electi substitur, nisi milites alios non tamen alium, sed regem suum præcedentem unanimiter atque critere sequentes, habentes et ipsi novi armati tamen ad eodem armati, et contra diabolum gnaturi. Sunt igitur sive præcedentes sive sequentes, unius regis sacramenta portant regi militantes, et unum tyrannum super illi venturum præcedentes, isti præcedente sequentes. Vides ergo quomodo omnes ab usque ad finem boni sunt Christi? Neque diabolum vincunt, nisi hi soli qui sunt Christi. Ergo ab initio Christiani fuerunt? M. Nihil. D. Sed multi aliter existimant. M. Vis idem evidentiis ostendi? D. Volo. M. Tria sunt tempora per quæ præsentis sæculi spatium decurrunt: primum est tempus naturalis legis; secundum tempus scriptæ legis; tertium est tempus gratiæ. Primum est ab Adam usque ad Moysen; secundum a Moysen usque ad Christum; tertium a Christo usque ad finem sæculi. Similiter tria sunt genera hominum: primum est homines naturalis legis, homines scriptæ legis, homines gratiæ. Homines naturalis legis dici possunt qui sola naturali ratione vitam dirigunt; vel potius homines naturalis legis nati sunt ambulant, homines scriptæ legis qui exterioribus præceptis ad bene vitam informantur. Homines gratiæ sunt illi qui per aspirationem Spiritus sancti afflatis et illuminatis ut bonum quod faciendum est agnoscant, inflammantur ut diligant, et corroborantur ut efficiant. Et ut idem manifestiori distincti significemus, homines naturalis legis sunt mali; homines scriptæ legis, fidei boni; homines gratiæ, vere boni. In primo genere continebantur pagani; in secundo Judæi; in tertio Christiani. Ista tria genera hominum ab initio nunquam defuerunt, tamen tempus naturalis legis ad aperte malos pertinet; qui illi tempore numero plures et statu excellentiores fuerunt. Tempus legis scriptæ ad fidei bonos; qui homines in timore servientes opus mundi non animum. Tempus gratiæ ad vere bonos pertinet; qui modo etiam si numero plures non tamen statu sunt excellentiores, et Dei publice anteferuntur etiam ab iis qui ei non contradicunt. Scias ergo quocumque tempore ab initio mundi usque ad finem nullum fuisse esse vere bonum nisi iustificatum per gratiam autem nunquam adipisci potuit nisi per Christum, ita ut omnes sive præcedentes sequentes uno iustificationis remedio salvos agnoscas. Aspice ergo castra regis nostri et exercitus eius in armis spiritualibus fulge-

quanta præcedentium sequentiumque populorum A multitudine stipatus incedat.

D. Vellem ut nunc tanti regis exercitum mihi sigillatim describeres; qui et quales milites ejus ab initio fuerint; quæ arma, quos hostes habuerint, ubi et quando, et qualia bella gesserint: quomodo vicerint, quæ postremo præmia (victoria consummata) perceperint. M. Postquam primus parens generis humani propter inobedientiæ culpam a paradiso exsulans in hunc mundum venit, diabolus jus tyrannicum in illo exercens, sicut prius fraudulenter seduxerat, ita postmodum violenter possidebat. Sed Dei providentia quæ hunc ad salutem disponebat, sic justitiæ rigorem per misericordiam temperavit, ut eum ad tempus quidem ab illo premi permitteret, et tamen ne ab illo in æternum premeretur, ex ipsa ei pœna remedium præpararet. Itaque jam tunc ex ipso mundi exordio sacramenta salutis suæ homini proposuit quibus eum sub exspectatione futuræ sanctificationis consignaret: quatenus ea quisquis fide recta et spe firma propter obedientiam institutionis divinæ perciperet, etiam sub jugo positus ad consortium libertatis pertineret. Proposuit itaque edictum informans et hominem erudiens, ut quicumque eum salvatorem atque liberatorem exspectare eligeret, ejusdem suæ electionis votum in perceptione sacramentorum ejus approbare debuisset: « Proposuit et diabolus sacramenta sua quibus suos sibi alligaret, quatenus ab illis qui ejus imperium detrectabant quanto eos manifestius discerneret tanto securius detineret. Cœpit ergo genus humanum mox in partes contrarias dividi aliis diaboli sacramenta suscipientibus, allis vero suscipientibus sacramenta Christi: et factæ sunt duæ familiæ: una Christi, altera diaboli. » Diabolus ergo videns quod generis humani propago quam in radice sua vitiaverat, quamvis tota cum corruptione nascendo prodiret, non tamen tota in eadem renascendo innovata persisteret, statuit per eos quos possidebat, illos quos amittebat persequendo, premere; tanto tunc amplius ad inferendam violentiam præsumens, quanto se prius meminerat fraudulentiæ prævaluisse. Verum hæc maligni versutia machinatio, divinæ misericordiæ dispensatio fuit, ut videlicet homo confirmatus per gratiam contra eum justitiam suam defenderet, quam per eum prius seductus deseruit. In quo nimirum convenienter etiam superbia tyranni confunditur, quod modo hominem mortalem et infirmum per tormenta superare non prævalet quem antea nulla infirmitate circumdatum sola persuasione seduxit. Tam diversa igitur intentione opus unum perficitur, cum diabolus suos milites ad persecutionem et violentiam, Christus vero suos ad patientiam exhortatur. Quia autem diabolus ab initio sive per se sive per suos non ob aliud bonos impugnat nisi ut eis justitiam tollat, et boni non aliud per hanc pugnam exigunt, nisi ut suam justitiam non amittant, patet profecto quod ipse cum non valet quod vult ad effectum perducere, semper a bonis vincitur, etiam si foris

prævaluisse videatur. Ergo cum milites diaboli exterius violentiam inferunt, milites Christi interius per patientiam vincunt. D. Ergo sacramenta Christi arma sunt? M. Non solum arma, sed et medicamenta. D. Quomodo? M. Medicamenta sunt, quia sanant infirmos; arma, quia protegunt sanos. D. Quid est sacramentum? M. Sacræ rei signum. D. Quot modis fiunt sacramenta? M. Tribus; Id est rebus, verbis, factis. Rebus, ut in aqua, in pane, in vino, in sale, in cimere, in oleo, in igne et in cæteris hujusmodi; verbis, ut est Trinitatis invocatio et alia quæ in benedictionibus sive consecrationibus vel conjurationibus virtutem divinam habentia verba proferuntur; factis, ut est crucis signaculum, incurvatio genuum, expansio manuum, et cætera quæcunque talia sunt. D. Quare dicitur sacramentum sacræ rei signum? M. Quia per id quod foris visibile cernitur, aliud interius invisibile significatur. Verbi gratia: Ut per aquam, remissio peccatorum; per ignem, ardor charitatis; per oleum, misericordia; per salem, sapientia, etc. D. In talibus ergo salutem quæret homo cum ipse rationalis sit, et dignior in conditione sua rebus insensatis? Quomodo ista salutem dare possunt et languoribus animarum mederi; cum ipsa sint corporalia, nihil præter speciem visibilem habentia? M. Est prorsus aliud ibi præter id quod oculis corporeis cernitur; et ipsum est quod invisibiliter peccatorum maculas mundat, et languoribus animarum medetur. D. Illa ergo virtus unde venit? M. Non ex illius natura quod ibi visibile cernitur; sed ex operatione Spiritus sancti qui in illo visibili invisibiliter operatur. D. Nonne hanc eandem virtutem ad reparationem hominis sine exhibitione vel adminiculo rerum corporalium Spiritus sanctus præstare potuisset? M. Posset nique si vellet. D. Quæ ergo causa fuit ut ista instituerentur, ut homo quasi in istis quæ inferiora sunt et indigniora juberetur salutem quærere, cum solus Deus sit a quo homo salutem et debeat quærere et possit sperare? M. In istis, non ab istis jubetur homo salutem quærere; sic ut eam cum adeptus fuerit, sciat se ab illo qui eam in istis quærere jussit accepisse. D. Dic ergo cur præcepit Deus homini in ejusmodi rebus salutem quærere? M. Ut humiliaretur homo et erudiretur. Humiliaretur quidem dum cogitur nunc jacens in inferiori bonum suum quærere; quod prius cum staret, a suo superiori contempsit accipere. Congruum ergo præcedentis superbiæ morbo, subsequentis humilitatis medicamentum apponitur, ut videlicet homo qui prius Deum (perniciose elatus in semet ipso) despexerat postmodum salubriter humiliatus sponte se etiam in sensibilibus rebus præter Deum substernat. Ad doctrinam etiam sacramenta proposita sunt homini, ut per ea quæ exterius aguntur, quid sibi interius exhibeatur possit agnoscere. D. Ergo in omni sacramento plus esse credendum est, quam id quod solum videri et corporali sensu percipi potest? M. Duo ibi sunt: unum quod exterius

sensu corporali percipimus, quod proprie sacramentum, id est sacræ rei signum dicitur; alterum quod non videmus sed credimus, quod recte res sive virtus sacramenti nominatur. D. Quid interest inter signum et sacramentum? M. Signum solum ex institutione significat; sacramentum etiam ex similitudine repræsentat. Item signum rem significare potest, non confere. In sacramento autem non sola significatio est, sed etiam efficacia; ut videlicet simul et ex institutione significat, et ex similitudine repræsentet, et conferat ex sanctificatione. D. Utrum potest aliquando sacramentum pro signo accipi? M. Improperie pro sola significatione sacramentum vocatur. D. Quid si dixerimus illas Veteris Legis figuras signa tantum fuisse futurorum, non sacramenta, et spiritualem gratiam (quæ in illis dabatur) mediantibus iis quæ futura erant sacramentis fuisse collatam? M. Si quis sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negaverit, non mihi recte sentire videtur, in hoc tamen dignitatem sequentium indubitanter præferimus, quod illa et visibilia et signa visibilium fuerunt; ista vero cum sint visibilia, ipsa quidem tantummodo invisibilis gratiæ sacramenta sunt. Idcirco sacramenta gratiæ primum per invocationem. Trinitatis sanctificationem in se suscipiunt, ac deinde sanctificationem conferunt, ut sint ex sanctificatione sanctificantia, atque hoc ex sua sibi que cœlitus indita sanctificatione conferant quod illa per hæc conferre consueverant ex sola horum significatione.

C. Quæ sunt illa sine quibus salus ab initio haberi non potuit? M. Tria sunt, id est fides, et sacramenta fidei, et opera bona: quæ a principio ad obtinendam salutem homini proposita videntur. His milites Christi semper usi sunt: in fide robur in sacramentis fidei arma, in operibus bonis tela accipientes, quibus contra diabolum pugnauerunt. Sane quemadmodum neque robur inermi, neque arma sine viribus, aut tela, contra fortem armatum prodesse possunt dimicanti; ita quidem fides sine operibus et sacramentorum sanctificatione, et rursus sine fide sacramenta, aut opera salutis effectum non habent.

D. Quid est fides? M. Paulus dicit *fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (Hébr. xi). D. Qualiter hoc accipiendum putas? Quæcunque vel futura, nec dum sunt; vel præterita jam esse desierunt; vel præsentia veritatem sui a sensibus nostris sive cognitione abscondunt: hæc omnia quantum attinet ad nos quodammodo non sunt: sed quia per fidem de his omnibus quasi existentibus quædam in nobis certitudo nascitur, non immerito ipsa fides et non existentium substantia, et non apparentium argumentum appellatur. Porro illud considerandum est quod sola fide nemo potest placere Deo nisi charitas illi sociata fuerit, ut sit videlicet fides operans ex dilectione. Atamen fides fundamentum quodammodo est et principium boni in homine, de qua charitas nas-

citur, de charitate autem spes generatur; quia fides ad cogitationem pertinet, charitas vero amor, spes fiducia est.

D. Breviter velim ut horum diffinitione proposita, ipsa mihi manifestius distinguantur. M. Fides est voluntaria absentium certitudo supra opinionem et infra scientiam constituta. Charitas est amor Dei propter ipsum, et amor proximi propter Deum. Spes est fiducia futurorum bonorum ex gratia Dei et bona conscientia. In hoc etiam fides et spes differre videntur: quod fides de præsentibus præteritis simul et futuris esse potest: spes de solis futuris; fides de nostris et alienis; spes solummodo de nostris. Fides de bonis et malis; spes de solis bonis.

D. Quid est sacramentum fidei? M. Duobus modis intelligi potest sacramentum fidei: sive ipsum sacramentum quod est fides; sive sacramentum fidei, id est fidelium, quo fideles utuntur et sanctificantur. D. Qua ratione fides sacramentum dicitur? M. Sicut sacramentum baptismi cum dicitur, non aliud sacramentum quam ipsum quod est baptismus significatur, ita et sacramentum fidei ipsam fidem quæ sacramentum est, nonnunquam accipere solemus. Porro cætera omnia ideo sacramenta fidei dicuntur, quod ad eos tantum qui fidem habent sanctificandos instituta sint. Ipsa vero fides, ut dictum est, sacramentum est, propterea quod sicut in baptismo et in aliis sacramentis aliud est quod foris ostenditur, atque aliud spiritualis virtus quæ intus exhibetur; sic aliud est fides qua *nunc*, sicut dicit Apostolus, Deum quasi *per speculum in ænigmate cernimus* (I Cor. xiii); atque aliud visio manifesta qua eum postea *facie ad faciem* (*ibid.*) contemplantes visuri sumus. Fides igitur sacramentum est visionis futuræ; et ipsa visio virtus est ejus sacramenti quod est fides. D. Doceri nunc velim quæ res ad fidem pertineant? M. Duo sunt: Creator et creatura. Hæc sana fides ita discernere debet, ut nec creaturæ divinitatem Creatoris attribuat, nec Creatori infirmitatem creaturæ ascribat; id est, nec Deum concludat tempore, nec creaturam tendat æternitate. Nam quodlibet horum fiat: fides necesse est detrimentum patiatur. Sequitur autem ut fides cum recte inter Creatorem et creaturam dividerit, recte etiam offerre studeat Creatoris honorem suum tribuendo, ut videlicet confiteatur omnia ab ipso et per ipsum facta esse, ipsum vero non aliunde sed a semetipso sine principio et fine subsistere. Deinde sequitur tertium, ut videlicet eum quem Creatorem confitetur omnium, credat etiam et expectet hominum salvatorem. Et ut breviter perstringamus, hæc sunt quibus nihil unquam minus recta fides habere potuit, ut unus Deus credatur, factor omnium et hominum salvator. Nam illi qui creaturam pro Deo colentes gemino errore decepti, vel creaturam æternam, vel Deum temporalem esse credebant: quid isti aliud fecisse dicendi sunt quam excellentiam factoris operi et infirmitatem facturæ tribuisse Creatoris? Rursus philosophi

gentilium: quia fidem de Salvatore non habebant, quamvis inter Creatorem et opus suum discernendum minime fallerentur, nequaquam tamen fideles appellandi sunt, quia fidem salvatoris non habuerunt. D. Qualem fidem habuerunt antiqui de Salvatore venturo, maxime ii qui circa primordia sæculi existentes nondum adhuc Scripturas in quibus adventus ejus promittebatur acceperant? M. Non necesse est ut dicamus omnibus qui tunc fideles erant adventum ejus in carnem, crucem et resurrectionem manifeste revelatum fuisse; cum etiam apostoli qui cum præsentem in carne viderunt (quorum fides et justitia ab ipso Salvatore prædicatur) hoc ignorasse legantur. Credebant tamen se salvari per eum quomodo et quando ei placisset; sed quod morte illius redimendi essent (exceptis paucis quibus hoc a Deo revelatum fuerat) eos ignorasse ex hoc patenter ostenditur, quod et Petrus Domino mortem suam prædicenti contraire nititur (*Math. xvi*); et cæteri apostoli omnes in morte ipsius desperasse potius leguntur, adeo ut ipsi propter crucem jam desperantes dicerent: *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (Luc. xxiv)*. Qui enim ipso vivente redemptionem speraverant, postea autem ipso moriente desperant; patenter ostendunt, quia quod per mortem ejus redimendi fuerant nescierunt.

D. An hoc illis prioribus sufficere poterat ad salutem, ut crederent eum creatorem omnium, et salvatorem exspectarent venturum? M. Poterat hoc eis tunc sufficere cum cæteris sine quibus, ut dictum est, fides placere non poterat, in iis duntaxat qui tempus bene operandi habebant, id est, cum susceptione sacramentorum et exercitatione bonorum operum per charitatem et spem fide roboratam. D. Ergo postea crevit fides? M. Duobus modis crevit fides: per constantiam et cognitionem. Alii fidem habent cognitione magnam, et parvam constantia; alii cognitione parvam et constantia magnam. Apud Deum autem pretiosior est magna fidei constantia quam cognitio magna. Antiqui igitur sancti fidem habebant plures cognitione parvam et magnam constantia; sicut e contrario nunc multi fidem habent cognitione magnam et constantia parvam.

D. Quæ sacramenta erant sub lege naturali? M. Oblationes et sacrificia et decimæ. D. Quare ratione hæc sacramenta vocantur? M. Quia sacræ rei signa sunt. D. Cujus? M. Remissionis peccatorum. D. Quomodo? M. Substantia hominis duplex est: alia interior quæ ipse est; alia exterior in rebus quas possidet. Voluit ergo Deus ut homo de exteriori substantia sua sibi oblationem faceret, ut justa recompensatione dum id quod exterius a Deo acceperat devote redderet, id quod interius de semetipso perdiderat Deo tribuente recuperaret. Per fidem ergo et oblationes sive sacrificia tunc remissionem peccatorum acceperunt quicumque veterem hominem deponentes, hoc est Adam, membra novi, id est Christi facti sunt. Idem namque in illis oblationes et sacrificia fide mediante operabantur,

A quod postea sub lege scripta circumcisio aut sub gratia baptismus; videlicet ut et ipsi ab omni peccato sive originali sive actuali justificati, inter membra illius computarentur, cujus fide et sacramentis sanctificabantur. Eandem quippe passio Salvatoris, præcedentibus sacramentis, id est sive oblationi sub naturali, sive circumcisioni sub lege scripta, virtutem et efficaciam sanctificationis contulit, quam subsequenter et succedentibus confert: hoc solo excepto quod sacrificia et oblationes non ita sub naturali lege quemadmodum circumcisio sub scripta et baptismus sub gratia ad necessitatem salutis, sed ad cultum devotionis fiebant, sola tunc fide justificante et purificante credentes. Et rursum hoc etiam in circumcisione excepto quod illi priores patres quamlibet justis et Deo placentes ante datam hostiam regni cœlestis januam intrare non poterant; sed tantum in sinu Abrahæ, id est in requie tranquilla servabantur, quousque ille veniret qui pro nobis moriens et resurgens per assumptam carnem cœlos ascenderet, et omnibus in se credentibus ac se sequentibus viam aperiret.

D. Si eadem virtus in illis sacramentis fuit quæ in istis est, quid causæ erat ut illa cessarent et ista succederent? M. Manifestior veritas in istis declaratur; et justum erat ut sicut paulatim procedente tempore crevit agnitio fidei, ita etiam alia sacramenta instituerentur, quæ etsi aliam sanctificationem gratiæ spiritualis non conferrent, eandem tamen manifestius panderent. Erat quippe idem Salvator, eadem fides, eadem gratia: illic venturi, hic exhibiti. Sed, quia ipse per quem salus dabatur adhuc longe erat, ejusdem salutis signa obscura esse debuerunt, ut paulatim ejus adventu appropinquante et fides amplius cresceret, et gratia evidentius se manifestaret. Ideo primum per oblationem et postea per circumcisionem, ad ultimum per baptismum, expiationis et justificationis sacramentum formari institutum est; quia ejusdem mundationis forma et similitudo in oblatione quidem occulte innuitur, circumcisione vero evidentius exprimitur, per baptismum autem manifesta declaratur. Primam namque justificationem accepit homo, ut pro remediis salutis, exterioris substantiæ partem offerret Deo, partem ad usum proprium retineret, quatenus in hoc facto disceret ea quæ intrinsicus bona erant Deo tribuere, quæ vero mala, sibi imputare. Sed hoc signum de longe sumpsum magis docuit hominem quid esset quam quid fieret. Igitur cum tempus advenisset quo veritas declarari debuerat, datum est ei remedium circumcisionis sacramentum, ubi dum ab interiori substantia hominis pars non quidem naturaliter superflua, sed ejus quod superfluum est figura, præciditur; jam manifestius illa peccati circumcisio quam in interiori homine gratia perficit demonstratur. Quia autem circumcisio exteriores sordes et enormitates quæ foris sunt rescat, ablutio autem maculas etiam interiores

emundat; jam manifesta veritate adveniente Christo circumcisio cessare debuit, ut illud sacramentum succederet, quod perfectam hominis emundationem et interiorem animæ candorem (quem in ipso et per ipsum sacramentum adipiscitur) posset declarare. Videntur ergo illa prima sacramenta quasi quædam umbra gratiæ spiritualis; illa vero quæ postea secuta sunt quasi quædam imago, et (si ita dicendum est) lineamenta veritatis habentia. Ista vero non jam umbra vel imago, sed corpus veritatis; in quibus (quia plenarie salutis effectus datur, et evidenter ostenditur) quasi spiritus in corpore viventi exteriori motione se prodit; sic in eis vita gratiæ invisibilis clarissime demonstratur.

D. De operibus restat nunc ut quæ dicenda sunt aperias. M. Tria genera factorum sunt: quædam sunt omnino bona quæ nunquam licite præteriri possunt; quædam omnino mala sunt quæ nunquam licite committi possunt; quædam sunt media quæ sive fiant sive non fiant nec culpa est nec meritum. Quæ sic ergo se habent ut nunquam licite fieri possint, illa tantummodo lex naturalis prohibuit; illa vero quæ nunquam licite possunt præteriri sola præcepit, media omnia ad utrumlibet relinquens. De illis autem quæ vel præcipienda vel relinquenda erant, unum tantum præceptum in corde hominis posuit: *Quod tibi vis, id aliis feceris; quod tibi non vis, aliis ne feceris* (Matth. vii; Tobiae iv), ut ex sui videlicet consideratione homo disceret qualem se erga proximum exhibere deberet. Sed postea, cum lex subintrasset, et disciplinam vivendi arctiorem proponeret cœpit ex iis quæ media erant quædam excipere, et ex eis alia per præceptionem; alia per prohibitionem in alteram partem tantum locare, ut quemadmodum primo homini in paradiso Deus de cessione naturali unam pro præcepto disciplinæ exhibitionem exceperat, ita modo filiis ejus non ex una veritate stantibus, sed per varios errores dissipatis, non unum de cessione naturali præceptum disciplinæ quasi probandis, sed quasi corrigendis et reparandis multa formaret, ut quanto magis se in mediis temperare discerent, tanto levius inconcessa cavere valerent.

D. Quæ fuerunt illa quæ lex naturalis faciendæ aut vitandæ proposuerat? M. Illa septem quæ postea lex scripta in secunda tabula de dilectione proximi mandabat. Primum erat: *Honora patrem tuam et matrem tuam, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram*; secundum: *Non occides*; tertium: *Non mæchaberis*; quartum: *Non furtum facies*; quintum: *Non falsum testimonium dices*; sextum: *Non concupisces uxorem proximi tui*; septimum: *Non concupisces rem proximi tui* (Deut. v). Primum secundum præceptionem factum est; sex alia secundum prohibitionem. D. Quare de non faciendis solum tantum præceptum datum est, et de faciendis plura? M. Primum peccatum hominis fuit inobedientia; et idcirco vita

A ista quæ homini ad pœnitentiam conceditur, tota obedientiæ deputatur. Quia igitur homo in malis agendis ex propria concupiscentia in diversa distrahitur, in bonis vero agendis sola obedientiæ regula gubernatur; ideo in malis cavendis, quæ habet ex semetipso et per semetipsum facere potest, singulatim instruendus erat, ad bona vero agenda ad obedientiam solummodo revocandus, ut ibi per sententiam alterius salubrius disceret quid ipse agere debuisset. Cum enim jubetur homo patri et matri honorem deferre, non hoc ad carnales parentes solum referendum est; sed hoc potius ei præcipitur, ut quod in mandatis suis aliquando contempsit, nunc propter Deum homini superiori obedientiam atque honorem exhibere non dedignetur.

D. Ecce demonstrasti tria, id est fidem, et sacramenta fidei et opera. Nunc superest ut in his qui hæc habebant, qualis aut quanta effecta sit reparatio ostendas. M. Si summum bonum hominis contemplatio præsentis Dei esset, maxime quia ad perfruendum hoc homo primus conditus creditur, merito fides, per quam absentem quodammodo videre incipit, initium boni et principium restorationis ejus memoratur. Nam quoniam homo, qui peccando cognitionem Dei perdidit, per fidem iterum illuminatur, ut eum videre atque cognoscere possit; patet quia id per quod ei primum bonum quod perdidit redditur, jure exordium restorationis ejus vocatur. Quæ restauratio scilicet secundum incrementa fidei crescit, dum homo per agnitionem amplius illuminatur et inflammatur per dilectionem. Fides igitur ipsa est per quam reparatur homo et in qua ei bonum amissum redditur, ut per eam paulatim cognitione pariter et amore crescens ad plenam illam visionis felicitatem pervenire mereatur. Sic enim justus quandiu in hoc corpore existens peregrinatur a Domino vivere habet ex fide, quemadmodum beatus cum eductus de hoc ergastulo fuerit et introductus in gaudium Domini sui, vivere habebit ex contemplatione. Sed mira Dei dispensatione agitur quod nunc interim malitia hostis antiqui ad impugnandos et persequendos fideles relaxatur quatenus videlicet hoc homini reputetur pro merito, si nunc per fidem ambulans viam veritatis etiam vel impugnatus non deserat, qui prius visione præsentis Dei roboratus sola persuasionem prostratus erat. Ut autem in hoc prælio invictus stare possit et bonum suum illæsum custodire, dantur ei, ut dictum est jam, in sacramentis arma quibus se muniat, et in operibus bonis tela quibus hostem prosternat, ut scilicet fidei charitate et spe adjuncta interius pariter roboretur et vincat. Jam (ut existimo) satis demonstratum est tibi qualis fides et quæ sacramenta aut quæ opera illis sanctis primis ad obtinendam salutem fuerunt necessaria.

D. Quandiu duravit status iste priorum? M. Usque ad Abraham. Tunc etenim volens Deus populum suum in unum congregare et ab infidelium collegio sequestrare, ut non solum in una

fide, sed etiam in una essent societate, vocavit Abraham, ut eum de terra sua educeret, ut per illum unum et in illo uno omnes qui ab illo nascituri aut illum secuturi erant a pristina conversatione educens in unam societatem novæ vitæ congregaret. Cui etiam præcepit ut circumcideret pellem præputii sui in signum sibi, posteris in exemplum; tantum ad priorem statum superaddens quatenus per hoc signaculum populus Dei ab infidelibus discerneretur, quousque ille viveret qui non solum de filiis Abrahæ, sed de universis etiam gentibus fideles colligeret, ac per hoc non jam per signaculum carnis in genere, sed per signaculum baptismatis secerneret in emundatione. D. Nunquid non etiam olim ante diluvium fideles ab infidelibus discreti erant? M. Erant; sed post diluvium rursus humanum genus ad unum populum redactum in Abraham secundo discerni cœpit. D. Qualiter fiebat circumcisio? M. Præceptum fuit ut puer masculus octavo die nativitatis suæ circumcideretur in carne præputii sui cultello de petra facto. D. Quæ fuit ratio ut sic fieri præciperetur? M. Tres sunt circumcisiones: una in carne tantum exterius, quæ sacramentum est; duæ aliæ quæ sunt res et virtus sacramenti. Altera quæ fit in præsentem, quando per depositionem iniquitatis mens circumciditur. Altera quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis corpus circumcidetur. Prima igitur est in carne; secunda in mente; tertia in corpore. Octonarius vero in sacra Scrip-

tura aliquando tempus resurrectionis significat quod post præsentem (quæ septem diebus currit) vitam sequitur: aliquando tempus gratiæ in quo æterna bona servientibus Deo promittuntur. Merito igitur illa prima circumcisio quæ sacramentum erat aliarum duarum, jussa est fieri die octavo, ut ostenderet quod in tempore gratiæ corda circumcidenda erant per emundationem iniquitatis, et in tempore resurrectionis corpora per depositionem corruptionis. Propterea autem solis masculis data est circumcisio carnis, quia sacra Scriptura per masculinum sexum animam, per muliebrem vero carnem significare solet; ut videlicet ostenderetur quod illa exterior circumcisio animabus justificationem contulit, sed carni non abstulit corruptionem. Cultellus de petra factus Christum significat, de quo dicit Apostolus: *Petra autem erat Christus (I Cor. x), qui tollit peccata mundi (Joan. 1)*. In carne præputii idcirco jussa est fieri quoniam ad remedium data est contra originale peccatum, quod a parentibus contrahimus per illud membrum propagati. D. Quod ergo mulieres remedium habebant quæ non circumcidebantur? M. Fidem et oblationes sive sacrificia: ipsam quoque circumcisionem; non tamen suscipiendo sed credendo. D. Quid dicendum est de pueris ante octavam diem morientibus, quoniam ad illud remedium pervenire non poterant, salvine fuerant an damnati? M. Hoc Dei iudicio relinquendum mihi videtur.

SUMMA SENTENTIARUM

SEPTEM TRACTATIBUS DISTINCTA.

TRACT. I. *De tribus virtutibus theologalibus: fide, spe et charitate. De sacratissima Trinitate, et de fide Incarnationis Verbi.*—TRACT. II. *De creatione et statu angelicæ naturæ.*—TRACT. III. *De creatione et statu humanæ naturæ.*—TRACT. IV. *De sacramentis in generali et præceptis divinis.*—TRACT. V. *De sacramento baptismi.*—TRACT. VI. *De sacramento confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, et extremæ unctionis.*—TRACT. VII. *De sacramento conjugii.*

PRÆFATIO.

De fide et spe quæ in nobis est, omni poscenti rationem reddere, ut ait Petrus in Epistola sua, parati esse debemus cum modestia et timore (I Petr. iii). Itaque, ut pariter servetur modestia in sermone, timor in assertionem, *profanas verborum novitates, ut Apostolus præcipit vitemus (I Tim. vi);* et in nullam partem præcipiti assertionem declinemus. Melius est enim non eloqui (ubi sine periculo non erratur) magna, quam definire contraria. Sed ubicunque possumus auctoritatum vestigia sequamur, ubi vero certa deest auctoritas, his potissimum assentire studeamus, qui maxime autoribus accedunt; et non de sensu suo præsumentes, scripturas ex pietate interpretantur. Scriptura enim sancta, ut ait beatus Augustinus, altitudine superbos irridet, profunditate attentos tenet; magnos veritate, parvulos nutrit affabilitate. Si qua igitur obscura nobis occurrerint, sit nostri propositi primum ad auctoritates confugere; deinde quid nostri temporis sapientes de illis sentiant in medium conferre; et cur potius hos quam illos imitari placeat (et ratione et auctoritate simul concurrentibus) pro facultate nostra in lucem ponere.

TRACTATUS PRIMUS.

CAPITULA.

CAP. I. *De fide.*—CAP. II. *De spe et charitate.*—CAP. III. *De fide antiquorum.*—CAP. IV. *De quibus constat fides.*—CAP. V. *De spiritu creato utrum sit localis.*—CAP. VI. *De distinctione Trinitatis*
PATROL. CLXXVI. 3